EPITHALAMIVM

Heroi Fortiſsimo, Duci Feliciſsimo

MATTHIAE GALASSO

COMITI ILLVSTRISS.MO ET ECCELL.MO

S. Cæſ. & Reg. Hung. ac Bohem. Mai. Exercituum Generali

Et Inclytæ Heroinæ, Lectiſſimæ Sponſæ

DOROTHEAE

COM. DE LODRON

FESTO NVPTIARVM DIE D. D.

A. IOSEPHO GHELF TRIDENTINO



ROMÆ, Typis Franciſci Corbelletti. 1634. *Super. Permiſſu.*

CASTVS amor, regnis quem dudum ſidera ciuem
Adiunxere ſuis, puràſque dedere per Orbem,
Aequatis cum Sole vijs, diffundere flammas,
Nuper ad aligeros eſt orſus talia natus:

O Mea progenies, cuius mihi tela pudico
Conciliant animos, & firmant fœdera nexu,
Ite citi, quà ſigna volant Mauortia magni
Cæſaris, & fidus curat pro Cæſare Ductor,
Editus antiqua famoſi gente Tridenti,
Quaque Tridentinæ in cælum clementius alpes
Inſurgunt, terræque redit iam tota Tirolis:
Ite, ſubite lares AQVILAE, *penetrate* LEONIS
Atria, pèrque AQVILAS *ſecuri, pèrque* LEONES.
Dixit, & aurato binas mucrone Sagittas
Præbuit, ac binis hærebat epiſtola telis,
Iſta AQVILAE *ſigno ſecreta, ſed illa* LEONIS,
Iſta ſuum titulo Sponſum, Sponſam illa requirens.
Nec mora deſcendunt volucres, & iuſſa parentis
Expediunt. figit fuluo ſignata LEONE
MATTHIAE *clypeum: nigro Iouis alite clauſam*
Virgineum Sponſæ pectus LODRONIDIS *haurit.*
Tela iuuant, neque cura manu conuellere: tantùm
Dimotis reſerant inſerta volumina ſignis:
Ac primum tales in charta virgine verſus
Virgo legit.

QVi tibi Diuina dudum decretus in aula
Vel proauis clarus, proprio vel lumine Sponſus,
Aſpice MATTHIAM: veteri cui Sanguis ab ortu
Quinque per ingentes ſaclorum ducitur orbes,
Iam tum etiam crebra ſpectatus imagine, quando
Margaris Auſtriaci miſit ſub iura Tirolim
Nominis, hæredis poſt triſtia funera gnati.
Maiores graue Martis opus; virtùsque iuuabat
Ardua: Cæſareis, quæ proxima transijt ætas,
Iſto præpoſitum vidit de Sanguine ſignis:
Ipſe adeò genitor, Batauos dum Spinola vinci
Poſſe docet, Dux acer erat, primùsque premendis
Vrbibus aut varia tutandis mole magiſter.
Hoc à ſtirpe decus. Sed quantis ipſe viciſſim
Clarat luminibus, mittitque ad ſidera ſtirpem?
Non ortum, medijs non incunabula caſtris,
Non animos pueri grandes, rebùsque gerendis,
Polleat æquatis ſi corpus viribus, aptos,
Non primas acies, non militis arma reuoluam:
Dux mihi carmen erit, maturàque gloria factis.
DVm furit Alſatiam ferro flammàque per omnem
Degener à magnis Mansfeldus gentis auitæ
Nominibus, demptiſque ſoluta licentia frenis
Templa, pudicitiam, diuina, humanàque iura
Per vim, pèrque nefas temerat, certàtque libido
Aut Scythicos aut Threïcios ſuperare tyrannos;
Dùmque LEOPOLDO celerare immania tendit
Fata Duci; ſeruat gentèmque Ducèmque GALASSVS.
Bada ſub hac grandes bello molita paratus,
Alſatiæ miſeris nimium vicina colonis,
Commemorat patrijs hunc inter triſtia faſtis.
Te quoque, cui tantas debet Germania clades,
Heidelberga, ferunt nigro ſignaſſe lapillo
Arma viri, & multo funeſtum ſanguine Nicrum.
Quid Friſios, Vrbi quid formidata ferocis

Arma

Digitized by Google

Arma loquar Cimbri? cui, debellante GALASSO,
Non Rhenus, non Roma labor, ſed patria paruo
Diſſociata ſinu, domiti pars altera regni.
Quæ mens Italiæ, quando tot millia ſummas
Duxit in Eridani felicia culta per alpes,
Victàque, ſed Domino, fortiſſima MANTVA ceſſit?
Iámque metus, nec vanus, erat, Lombardica rurſus
Exercenda graui bellorum turbine regna.
Sed pacem hic retulit: nec enim tunc certior auctor
Iratas Italis AQVILAS deducere terris.
Interea requies Rhodano, gentìque Sabaudæ
Redditur: ingreſſum ſequitur pax alma GALASSVM.
AD ſummam Sponſo gens AVSTRIA vindice viuit
Tutior, & magna ſupereſt inuicta procella:
Sacrorum priſcos retinet Germania cultus:
Ille ſatam Stygijs, irritatàmque colubris
Perfidiam, nebulis & cæca fraude latentem
Protulit in medium, patriòque remiſit auerno:
Nempe Ducum ductor. Sed enim renouare dolorem
Non lubet infandum, nec gaudia rumpere luctu.
Viuit, & ò viuit ſaluis domus AVSTRIA regnis,
Fortior à magno diſcrimine: ſigna ſequuntur
Cæſaream deuota fidem, nullòque morante
Copia quid poſſit, virtus quid libera monſtrant.
NVlla Ratiſponam nunc flumina, mœnia nulla
Aggeſtæue iuuant alti telluris acerui:
Non iam Bernardus, collegàque Sanguinis, alter
Guſtauus Boias cædèmque facèsque per vrbes
Infeſti portant, vis reddita prima LEONI eſt.
Et iam VVerda iugum ſubijt, iam diuite totus
Iſter hyperboreos nexus diſcuſſit ab Vlma.
Iam Nordlinganas cæſus rigat hoſtis arenas,
Auſpicijs FERNANDE tuis: vbi ſigna GALASSVS
Regia vincendi cuneos direxit in hoſtis.
Hinc felix euecta citis victoria pennis

Nicrum

Nicrum vltra Mænùmque volat, belloque ferocem
Acronium: ſæuo tandem reſpirat ab hoſte
Sueuia: Cæſareis accedunt Francones armis:
VVirtemberga luit, profugum Stutgardia luget
Capta Ducem, fato FRIDERICI incerta recenti.
Rumpere conſtrictus molitur Baltica Rhenus
Vincula: iam clades videt Argentina fugàsque:
Vanas Vlma moras Auguſtàque nectere pergunt,
Notàque Cæſaribus Francfordia culta creatis,
Dictàque de priſcis vrbs ingenioſa Nariſcis.
Balticus hìc quondam gemino circumdatus hoſtis
Agmine conatu fertur deluſus inani:
Effuſas campo turmas dimittit aperto,
Mentitùrque fugam properans, optàtque fugari,
Cæſareis inhians, educto milite, caſtris.
Proxima res cladi fuerat: iam erumpere vallo
Qui mandaret erat: ſed enim, monſtrante GALASSO,
Deprendìtque dolum, caſtrìsque coërcuit iras,
Guſtauus conuertit equos, acrìque laceſſit
Incurſu Boias, diuerſa parte, cohortes:
Dux hortator adeſt: pro caſtris dimicat agmen
Fortiter, & Regem magna cum clade remittit.
Et modò poſt tenebras, & atrocis fulmina belli
Lætior ereptam recipit Germania lucem.
Illius hæc ſumma cæli radiantis ab arce
Proſpiciens hilari fertur ſic ore locutus:
Heroum Soboles, rerum pars magna mearum,
Dum mortalis eram; quæ mens præſaga canebat
Sæpe per occultum, factis ingentibus imples:
In ſua te Cæſar quondam cum caſtra vocaret,
Me duce, Boiariæ magni Ducis arma ſequentem,
Quam fidi facimus iacturam militis, inquam,
Dux prohibe: fruſtra pro te contendimus ambo.
Nimirum Auſtriacæ iam tum diuina ſaluti
Cura virum addiderat vigilem, nulliſque labantem
Illece

Illecebris auri, ſtolidàue cupidine regni.

Altera ſed ſponſo quæ venit epiſtola, laudes
Virginis, & magna proceres de gente canebat,
Europa celebres omni, ſeu bellica Virtus
Priſcæ ſpectentur ſeu relligionis honores.
Quis PARIDEM neſcit, quo Principe fertilis auri
Atque Salis regio, tàm ſuſpirata rapaci
Aduerſi Martis populo, veſtigia nulla
Martis habet: lætus tellurem exercet arator:
Solus cura lupus gregibus, non quæritur enſe,
Per iugulum aut pectus, ſed foſſis montibus, aurum.
Sic vigilat, partémque LEO conuerſus in omnem
Occurrit, cautùsque malis obſtacula ponit.
Alta Salisburgum quæ cingunt mœnia, quæque
Ardua compoſito ſtant propugnacula vallo,
Sunt opus æternùm PARIDIS; non tutior vſquam
Aut opibus fuit aut dominis à Marte receptus.
Hic indixiſti fruſtra, Vinmare, tributum,
Iactaſtique minas fruſtra: PARIS obtulit arma.
Ille etiam viuo fulgentia marmore templa
Condidit, & magna procerum ſpectante corona,
Sacris ac gentis doctori ex more dicauit.
Sed iuſtæ PARIDEM memorandum linquo Poeſi.
Hac ſe prole parens iactet celeberrimus armis
NICOLEOS, primaque domus in laude reponat.
Quantus auus Sponſæ? manet immortalis Iberos
Gloria per populos, poſtquàm, ceſſante duello,
Luſiadæ magni ſubierunt ſceptra PHILIPPI.
Sic vel conſilio palmam vel fortibus auſis
Heroes inter meruit bellator Iberos:
Ac velut occiduis auus elucebat in oris
Sic decorant alios naſcentis regna diei,
Ductores diri contra Machometis alumnos.
Omnes enumerauit amor. tunc denique Sponſam
Laudibus Aſtrææ ſuper orbem virginis effert,

Atque

Atque Helenam forma poſtponit, mente Mineruam,
Corporis intacti vernantem flore Dianam.
Poſtea Caſtus Amor ſobolem promittit vtrique
Aſſimilem, multa virtutis laude, parenti,
Vatidicòque nouos heroas & heroinas
Ore canit, longòsque dies, pacèmque perennem,
Creſcentìsque, nouos, pretium virtutis, honores.

HAec animo dum fortè tuor, mecùmque voluto,
O nullis, inquam, cedant oracula fatis,
Creſcat honos, cumulentur opes, nomènque GALASSVS
Perpetuos duret poſt fata parentis in annos.

Sic gens noſtra vouet, ſic patria chara
TRIDENTVM,
Orbis conuentu quondam, modò ciue
GALASSO
NOBILIS, & fama populos celebrata per
omnes.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE